

Le texte proposé ici a été établi à partir de l'édition publiée à Schwäbisch Hall, en 1539.

ILLUSTRIMUM AC CLARORUM ALIQUOT VIRORUM MEMORIAE SCRIPTA EPICEDIA XII.

IN MORTE DIVI FRIDERICI DUCIS SAXONIAE, PRINCIPIS ELECTORIS EPICEDION.

E_1 v.1 Si qua prius iusti fuit unquam causa doloris,
 2 nunc elegi maestum nomen habere decet.
 3 Pieridum chorus omnis ades, laurumque virentem
 4 ponite, lugentes non decet iste color.
 5 Cingite ferali funebria justa cupresso,
 6 conveniens vestris luctibus illa fuit.
 7 Nunc citharae sileant, nunc barbitos omnis abesto,
 8 nunc lacrimae fiant, quod fuit ante melos.
 9 Cur ita ? Nam fato cecidit percussus acerbo,
 10 qui vobis requiem, temporibusque dedit.
 11 Qui nisi qua talem decuit virtute fuisset,
 12 vester in obscura sorde jaceret honor.
 13 Nunc vobis decus est, et vita relicta per illum,
 14 quicquid adhuc vitae est vos penes ille dedit.
 15 Qui vos Saxonicum considerare jussit ad Albim,
 16 Gloria Musarum Dux Friderichus erat.
 17 Hunc igitur fato non lugeat omnis ademptum,
 18 qui chorus Aonidum regna beata colit ?
 19 Nam si facta canunt alii scelerata Poetae,
 20 gestaque sanguinea Martia bella manu.
 21 Dicite Germanae juvenes clarissima famae
 22 nomina, cur pauci tam bona facta canunt
 23 an quia Pierides sordent hoc tempore Musae,
 24 lectaque jam vatum carmina nemo probat.
 25 An quia quae vivae virtuti fama maligna est,
 26 pulchrior a sera posteritate venit.
 27 Quicquid id est tua fama, ducum clarissime, vivet
 28 dum tuus instabiles Albis habebit aquas.
 29 In tua nec deerunt faciles praeconia linguae,
 30 seu favet haec aetas sive futura tibi.

31 Nulla tuas laudes aetas, tua nulla silebit,
32 parta tuis meritis nomina, posteritas.
33 Dum tamen, heu, lucris praesentia damna futuris
34 solamur, bona spes victa dolore jacet.
35 Illum nempe premit duro nox ferrea somno,
36 quo duce pax studiis floruit aucta bonis.
37 Qui sicut placido imperio data sceptrata regebat,
38 sic cultu superum relligiosus erat.
39 Cumque satis metui posset malebat amari,
40 et solidas illis artibus auxit opes.
41 Quod si lege aliqua possent fera fata morari,
42 hic vere dignus ne moreretur erat.
43 Hujus enim veras si pergam dicere laudes,
44 divorum meritis dixeris esse parem.
45 Exuit Alcides variis sua tempora monstris,
46 monstra vigil noster ne parerentur erat.
47 Et prohibere prior laus est quam tollere pestem
48 tutior est quisquis damna futura videt.
49 Vidit et ipse suo cavit prudenter honori,
50 ne qua lues possit, ne quis obesse furor.
51 Si qua minabantur subeundum bella laborem,
52 ingenio pacem semper amante fuit.
53 Cumque aliis pereat collecta pecunia bello,
54 condidit hic isto munere pacis opem.
55 Multis parta domi per plurima vulnera res est
56 semper hic in media pace opulentus erat.
57 Quasque suis longa, plus quam sibi, pace parabat.
58 Non aliquo luxu dilapidabat opes.
59 Publica curabat privato commoda censu,
60 cujus pulchra etiam nunc monumenta manent.
61 Nam quae cincta vides ingentibus oppida vallis
62 plurima, munefica condidit ille manu
63 molibus exstructae tot pulchrae immanibus arces.
64 Ut fierent largis sumptibus ille dedit.
65 Palladium qua laude domum fundarit ad Albim,
66 utraque jam notum regia solis habet.
67 Quid loquar ingenuas quo pectore foverit artes.
68 Et quibus has esset solus amare labor ?
69 Hujus enim fessae requierunt numine Musae,
70 hoc duce Phocaicas vexerat Albis aquas.
71 Nunc jacet ille tamen, nunc illi lumine casso,
72 fundimus, heu, querula carmen inane lyra.
73 Carmine nec manes, nec numina surda movemus,
74 quae nunc sub terris illius ossa premunt.
75 At potuit manes, potuit fera monstra movere,
76 cui frustra conjux reddita pulchra fuit.
77 Invida nos etiam si flectere fata queamus,
78 relligio est isthac sollicitare Deum.
79 Certa stat et nullis precibus mutata voluntas,
80 arbitrio fatum contrahit omne suo.
81 Heu tamen immites crudelia numina Parcae,
82 quantum erat hic avidas non habuisse manus ?
83 Si decus hoc terris fuit invidisse voluptas,
84 quod scelus Aonidas commeruisse putem ?
85 Quas quo dura virum rapuerunt tempore fata,
86 monte sub obscuro delituisse ferunt.
87 Tum quoque vocalis citharae moderator Apollo,
88 conscidit irata plectra lyramque manu.

89 Atque ita, "Quo cantus ultra ? Quo carmina Musae,
 90 non est conveniens tristibus ulla chelys.
 91 Ire libet, finesque alios invisere quando,
 92 quas prius, Aonias non vehit Albis aquas."
 93 Sic ait, et radios conatum avertere, quaedam
 94 de grege Musarum quae prohiberet erat.
 95 Phoebe, mane, non totus obit quem quaeris ademptum
 96 parte etenim superest sed meliore sui.
 97 Pulchra etiam moriens nobis monumenta reliquit,
 98 donaque virtutis non moritura suae.
 99 Scilicet egregium magno cum fratre nepotem,
 100 quorum contenta est numine nostra salus.
 101 Tale quid audierat. Fluxitque serenior Albis,
 102 quam prius, ad sacrae proxima tecta scholae.
 103 Magne, vale, Friderice, ducum decus, istaque caelo
 104 accipe quae tumulto tristia dona damus.
 105 Qui te crudeli fato deflemus ademptum,
 106 qua licet et tristes solvimus inferias.
 107 Hic ubi flavescentes exaestuat Albis arenas,
 108 Palladiaeque recens alluit urbis opus.
 109 Spargimus hic frustra tumulum redolentibus herbis
 110 carmine signantes marmora celsa brevi.
 111 Hac suus exigua Dux est Friderichus in urna,
 112 quem sua non totum Teutona coepit humus.
 113 Quo duce depositis Germania floruit armis,
 114 et rediit vitae Christidos aucta fides.

GUILIELMI NESANI QUI IN TRAJECTU ALBIS FLUVII PERIIT EPICEDION.

E_2 v.1 Ergo ego sum lacrimis natus vatesque querelis
 2 semper et in luctus apta Thalia mihi est.
 3 Vix modo defleram Friderici funera magni,
 4 hic finis querulae debuit esse lyrae.
 5 Nunc quia, quam nollem facta est nova causa dolendi,
 6 ipse locum certe debet habere dolor.
 7 Et miseris addit quaedam solacia luctus,
 8 fata ubi non possis vincere, flere juvat.
 9 Sed mihi cantandus non hoc, Nesene, fuisti,
 10 florida sed virtus quo solet ore cani.
 11 Et modo virtutum florebas divite cultu,
 12 et fuit ingenii copia plena tui.
 13 Jam tua Palladias clarissima fama per artes,
 14 utraque jam fuerat cognita lingua tibi.
 15 Quid memorem sacri spatiosa volumina juris,
 16 ingenio longe facta minora tuo ?
 17 Omnia divinae tenuisti oracula legis,
 18 heu nihil, ignotum nil superasse tibi.
 19 Quam subito indigna flos concidit iste ruina,
 20 et veris medias aruit inter opes.
 21 Nil tibi mellifluae comis facundia linguae
 22 profuit, aut castis gratia plena jocis.
 23 Quid juvat humanis etiam nunc fidere rebus
 24 quas tam non stabiles quaelibet aura movet ?
 25 Jam bene compositis potuisti vivere curis,

26 aetatis firmum jam tibi robur erat.
27 Vix jam transieras sexti confinia lustris,
28 et poteris animi dotibus esse senex.
29 Cum tibi non aequo currentibus ordine fati,
30 rupit fatalem de tribus una colum.
31 Sed fuit hoc urgens et inevitabile fatum,
32 nec licuit fixum transiliisse diem.
33 Non tali miseram clausisses funere vitam,
34 parte aliqua levior nostra querela foret.
35 Languida composito jacuissent membra grabato,
36 clausissent patriae lumina fessa manus,
37 fortius hunc tantum poteramus ferre dolorem,
38 nunc luctus ratio non habet ista modum,
39 optima materiam fati tibi terra negabat,
40 tam sacrum timuit laedere flamma caput.
41 Innocuo facilem traxisses aere vitam,
42 principia haec vivens per tria tutus eras.
43 Quo caderes mediis fatum te invenit in undis,
44 heu, quantum scelere hoc factus es Albi nocens.
45 Jam tua Germanum clarissima fama per orbem
46 floruit, et celebri nomine notus eras.
47 Errabant faciles circum tua litora Nymphae,
48 sensit praesentes utraque ripa deos.
49 Cum ferus ipse tuum ceu foedaturus honorem,
50 crudeli innocuum subruis amne caput.
51 Saeve amnis faciles jam non habitare Camenas,
52 saeviat admisso Tethyos unda tibi.
53 Terra tibi cursum neget implacata secundum
54 saxa per et scopulos pulverulentus eas.
55 Et scelus exosi fugiant tua flumina pisces,
56 fontis adhuc manans areat unda tui.
57 Serpentes habitent in te saevique Dracones,
58 potent quadrupedum flumine nulla tuo.
59 Sed quid opus justo nimis indulsisse dolori,
60 devovisse tuum quid juvat Albi caput.
61 Nec tibi forte placent nostrae, Nesene, querelae
62 ridenti fatuae carmina vana lyrae
63 nos tamen ista tuo quae debebamus honori
64 carmina funebrem solvimus ante rogam.
65 Qua tua lugentes dictant ad busta Camenae,
66 quam cuperent vivo persoluisse tibi.
67 Laeta tibi in numerum cecinissent carmina divae,
68 quae nunc invito pectore maesta fluunt.
69 Heu, dolor immitis quae tanta potentia fati,
70 quam nulli placidas mors habet atra manus.
71 Omnia demetitis non tam mala numina Parcae,
72 si ratio vobis aequior ulla foret.
73 Nunc sine delectu temere et discrimine nullo
74 vos juvat humanum diripuisse genus.
75 Si tantum senio praemortua membra petatis,
76 quis putet injustas vos habuisse manus ?
77 Parcere vos decuit viridi florentibus aevo,
78 utilis haec aetas quam violastis erat.
79 Dissimilis rerum facies, et iniqua Deum lex,
80 tempore quam constant optima quaeque brevi.
81 Tot superant pestes hominum, vitaeque Tyranni,
82 quos melius vitam non habuisse fuit.
83 Unica naturae blande arridentis imago,

84 concidis, heu, patriae spes, Guilielme, tuae.
85 Tempora venturae tetigisses prima senectae
86 forte Deo poteris non renuente mori
87 Jam nunc invidia est, quis enim neget ? Ista deorum
88 tam pulchrum terris eripuisse decus.
89 Neglexisse putem solitas vaga sidera leges
90 illa quae facta est ultima, luce, tibi.
91 Illa sol latuit, latuit Saturnius hora,
92 aurea confuso palluit ore Venus.
93 Quaeque tibi facilem nascenti depluit auram
94 tempore fatali diva maligna fuit.
95 Dum queror ac mecum doleat, nisi falsa notavi
96 mota repercussum reddidit aura sonum.
97 Qui nunc justa tuo funebria solvis amico
98 ausa quidem fletus officiosa tui est.
99 Sed frustra, quid enim vanas iterare querelas,
100 Orphea sublatae proderit Eurydici ?
101 Ille quidem gelidi latis in vallibus Haemi,
102 Eurydicen querula concinit usque chely.
103 Silva, feraeque stupent, montes et saxa sequuntur.
104 Miratus cursum comprimis, Hebre, tuum
105 Non tamen audit atrox devoti regia Ditis,
106 ista stat ad cunctas janua surda preces.
107 Quin igitur fallaci animum lacerare querela
108 desinis et luctus discis habere modum.
109 Nec subit humanae sortis meminisse, quod hujus
110 usque adeo instabile est condicionis opus.
111 Nulli certus adest vitae status, omnibus horis,
112 fimus et occidimus, nascimur et morimur.
113 Quid facis invidiam superis, spes nulla reverti
114 quem semel in Stygio vexerit amne Charon.
115 Mortua tam stultum est deflere cadavera, quam si
116 te doleas fieri non potuisse deum,
117 adde modum lacrimis, stultum est sine fine dolere
118 paene erat hoc vita non obeunte mori.
119 Quem gemis ille tuus supera Nesus in aula,
120 nectara cum divis pascit et ambrosiam,
121 ille tuas lacrimas et curas ridet inanes,
122 nec volet hoc iterum corpore posse tegi.
123 Liber enim supra stellatum spiritus orbem
124 ambulat, et pedibus nubila regna premit.
125 Tu tamen exstinctum frustra gemis, et tua stulta est
126 quod causa ex omni parte querela caret.
127 Nam si sic caeli plores in parte receptos
128 quid facias illis quos mala regna premunt ?
129 Et si omnis ratio stulta est et frivola luctus,
130 attamen erroris plus habet iste dolor.
131 Sic ait, et tenues cum voce recessit in auras
132 seu dea, seu visum dicere quicquid erat.
133 Ergo ego siccabam lacrimas, posuique dolorem,
134 si quicquam positum, quod manet, esse potest.
135 Haec tamen immodico dextra famulante dolori,
136 Albidos ad ripam verba legenda dedi.
137 Cum miser ingrato Nesus in amne periret,
138 talibus hunc Nymphas ingemuisse ferunt.
139 Heu, scelus hanc miseram decuit spectare ruinam,
140 Albi dehinc faciles non habiture deos.
141 Nam quo talem animam, licet inficieris, eodem

IN MORTE CONSUMMATISSIMI PICTORIS ALBERTI DURERI NURENBERGENSIS EPICEDION
AD JOACHIMUM CAMERARIUM.

E_3 v.1 Pone coronatae lusus, Joachime, Camenae,
 2 sume dolorificae tristia plectra lyrae.
 3 Perbreve lugendum tempus tibi, donec amico
 4 sic merito tristes solvimus inferias.
 5 Occidit, et superas rediit Durerus in oras
 6 non nisi de caelo tam bona vita fuit.
 7 Nunc tibi plorantes lugubria carmina Musae.
 8 Nunc tristis querulum dictet Apollo melos.
 9 Nam jacet humanae pertaesus lumina vitae,
 10 quo nemo ingenio, nec prior arte fuit.
 11 Occidit heu, quis enim non impia fata queratur ?
 12 Artifice Albertus major Apelle manu.
 13 Occidit, heu, nostri pictorum gloria saeculi,
 14 cui par sperari nulla futura potest.
 15 Sicut enim Cous sua tempora vicit Apelles,
 16 aemula posteritas nec tulit ulla parem.
 17 Sic ab eo serie saeculorum, Alberte, secundus,
 18 divinae fueras artis honore prior.
 19 Nam rudis illa prior fuit et sine cultibus aetas
 20 queis superant nostri tempora prisca dies
 21 artibus et lucem suffecit Graecia mendax,
 22 qua sine laus rebus parva futura fuit.
 23 Hic tot pingendi praestantibus arte per orbem
 24 innumeri solus quod meruere tulit.
 25 Cumque videretur jam plena, nec altius iret,
 26 nobilis ars, capta solus in arce stetit.
 27 Non quia non habeant quibus haec quoque tempora possint
 28 priscorum ingeniis eripuisse decus.
 29 Sed quia primus erat, quia primum hunc esse ferebat
 30 quisquis ea clarum nomen ab arte tulit
 31 dii quam felici pingebat hic omnia dextra,
 32 linea quam pulchrum nulla fefellit opus.
 33 Dii quales vultus, dii qualia lumina fecit
 34 spirabat vivo, factus in ore color.
 35 Quascumque effigies hominum divumque peregit,
 36 in tabula credas currere, stare, loqui.
 37 Picta coloratis frondere toreumata ramis,
 38 ferri undas flammis urere, saxa jaci.
 39 Gratia nobilibus suberat tam viva parergis
 40 quodcumque effinxit paene creabat opus.
 41 Nunc jacet informi manus illa infecta colore,
 42 subdita cui ratio tota coloris erat.
 43 Nunc digiti pallent, qui cum libuisset habebant,
 44 quas ebori possent imposuisse rosas.
 45 Quis nunc, o Alberte, tuas tetigisse tabellas ?
 46 Successor quis erit qui queat esse tibi ?
 47 Interitum natura tuum lugere videtur,
 48 quam poteras docta paene referre manu.
 49 Ipsa vos casus opera intermissa queruntur,
 50 quae nunc morte tua mortua tota jacent.

51 Dicite nunc tabulae tristes spirantia signa
52 dicite, quo, qui vos tam bene fecit, abit ?
53 Nunc etiam lugent pictae tua fata tabellae,
54 atque ars artificem plorat abesse suum.
55 Et quae te vivo vivens ridebat imago,
56 e sicco quasdam lumine fundit aquas.
57 Et merito, quis enim tales vel euntibus annis,
58 vel casu ablatas restituisset queat ?
59 Sicut enim nemo Venerem perfecit Apellis,
60 sic, Alberte, tibi nemo secundus erit.
61 Ite cupidinibus tristes narrate Camenae,
62 non se iterum tali vivere posse manu.
63 Dicite Cypriadi cecidit Germanus Apelles
64 cum quo paene etiam mortua forma tua est.
65 Vos quoque conscissis Charites lugete capillis
66 interiit vestri verus Apollo chori.
67 Sive suis pictas jussit considerare in hortis,
68 sanguinis in vobis quam prope sensus erat
69 sive choros junctis juveniles ducere Nymphis,
70 nostra morabatur lumina forma salax.
71 In primis tamen Aonides lugete puellae,
72 ad vos praecipue pertinet iste dolor.
73 Nam quae vos celebri facitis pulcherrima cantu,
74 ille manu tantum non meliora dedit.
75 Astra, polos, terras, ventos, mare, nubila, flammam,
76 carmine vos canitis, pinxerat ille manu.
77 Et quae difficile est vestro quoque dicere cantu,
78 affectus animi pingere doctus erat.
79 Quid loquor affectus ? Animos quoque pinxit, et illis
80 vultus et formam quamlibet ipse dedit.
81 O quoties aliquem pictae bona forma tabellae
82 coepit, et e tabula pellice venit amor.
83 Sic ut jam Venerem Gnidiae puduisse figurae
84 possit, et hac pictam se volet esse manu.
85 Nec tantum eximiae summum decus attigit artis,
86 ingenii mira dexteritate fuit.
87 Omnia praescripta ratione mathemata novit,
88 cognita nec Siculo plura fuere seni.
89 Fortia ductilibus circumdare moenia vallis,
90 aptatis docuit ponere castra locis.
91 Ille opera aptavit varias instructa per artes
92 queis procul a muris pelleret hostis opes.
93 Instruxit peditum cuneos, equitumque phalargas,
94 pila, acies, turmas, cornua, signa, globos.
95 Nec minus haec pinxit fieri quam posse docebat,
96 praesentem faciunt publica signa fidem.
97 Heu, quia quae superi bona congressistis in unum
98 una simul fato perdidit hora nocens.
99 Heu, quia non redeunt quae tam bona grata fuerunt,
100 nec tam difficiles spes levat ulla moras.
101 Intereunt herbae, flores moriuntur adulti
102 sed redeunt vitam restituente deo.
103 Nos rerum dominos, naturae opera optima matris
104 cum semel occidimus fata redire negant.
105 Praeterea floret breve ver mutabilis aevi,
106 quod sumus hoc vitam dicere paene pudet.
107 Tot vetulae durat cornicis vita per annos,
108 saecula tot cervos vivere posse ferunt,

109 igne suo Phoenix onerantes exuit annos,
110 exuvias reparans corporis inde novi.
111 Invida cur non hoc homini natura dedisti,
112 vivere nempe feris dignior ille fuit :
113 postquam dura semel Dureri fata subisti,
114 tu quoque perpetua nocte sepultus eris.
115 Nec spes ulla tui similem, aut te posse reverti,
116 heu, ubi Pythagorae vana palingenesis ?
117 Ergo tuos lugent obitus quicumque per artem,
118 milia tot nostro tempore nomen habent.
119 Lugebunt quicumque tua sunt arte futuri
120 illustres, honor est debitus ille tibi.
121 Nunc etiam luget te patria clara, tuoque
122 sparsa caput nitidum funere maesta sedet.
123 Te nemus Hercynium, te Norica moenia lugent,
124 te liquidi flerunt, marmoreique lacus.
125 Te juvenes, te turba senum, te flevit et omnis
126 artibus urbs nuper nobilitata tuis.
127 In lacrimas abeunt latices Pegnesidos undae,
128 ipse sua maeret tristior amnis aqua.
129 Stant circum, maestaeque stupent tua funera Nymphae,
130 nunc primum miseris nil nisi flere juvat.
131 Sic Phaetontides fratrem luxere jacentem,
132 dum patrios audax non bene jungit equos.
133 Memnona sic flerunt volucres ad busta volantes,
134 praepes in herbosis vallibus, Eure, tuis.
135 Sic sua cum Nymphis exstinctum mater Achillem,
136 flevit ab Iliaco diva profecta mari.
137 Denique ut exemplis verum propioribus aedam,
138 flevit ut artificem patria quaeque suum.
139 Aequeorea ut magnum Cos olim flevit Apellem,
140 Protogenem varia nobilis arte Rhodos.
141 Parrhasium praeclara Ephesus quam luxit ademptum,
142 sicut Aristiden regia Cadme tua.
143 Tristibus ut lacrimis pereuntem Zeuxida flerunt,
144 quae vetus Alcidae moenia nomen habent.
145 Taliter exstinctum deflet te Norica pubes,
146 hujus enim nuper tu decus urbis eras.
147 Servatura tuos tamen est in imagine vultus,
148 grata tuis meritis officiosa manus.
149 Quos olim spectans aliquis, tua gloria dicet,
150 vivit, et aeternos est habitura dies.
151 Illa quidem vivit non ulli obnoxia morti,
152 in matrem rediit putre cadaver humum.
153 Parte igitur meliore tui, clarissime pictor,
154 vivis, at hac longe deteriore jaces.
155 Quam bene apud superos morimur virtute relicta,
156 pars melior vitae talis habenda fuit.
157 Non moritur quicumque sui monumenta reliquit,
158 ingenii, et laudem posteritatis habet.
159 Quae quoniam de te tam milia multa supersunt,
160 corporis est tantum vita peracta tui.
161 Sed quia vita etiam nos corporis illa trahebat,
162 longius hanc querimus non potuisse trahi.
163 Atque ideo ante tui vix dum nova busta sepulcri,
164 has tibi funebres solvimus exsequias.
165 Vive vale nostri pictorum gloria saeculi,
166 et tua caelestes involet umbra plagas.

167 Nos meliore tuas laudes depingere cultu,
168 heu quantus dolor est non potuisse. Vale.

SOMNIUM DE EODEM.

E_4 v.1 Invida Durerum quo tempore fata tulerunt,
2 et tantum terris eripere decus.
3 Jam ter quinque ierant a nato saecula Christo,
4 et quater in cursu septimus annus erat.
5 Vellera Phryxaeae pecudis jam Phoebus obibat,
6 florida nativi tempora veris erant.
7 Obtulit haud dubio mihi talia somnia monstro,
8 quae nox fatalem est prima secuta diem.
9 Vera loquar, nihil affingam, si mentiar autem,
10 summa sit haec in qua mentiar hora mihi.
11 Fessa soporifero prostratus membra cubili,
12 totus in extrema parte quietis eram.
13 Nostra videbatur Durerus limina vultu
14 hoc illo ingressus, quo modo vivus erat.
15 Extimui, non ignarus paulo antesepultum,
16 et tamen officii nomine fortis eram.
17 Assedit, vultique parum linguaque moratus,
18 murmure dehinc tremulo dicere visus erat.
19 "Hesse, meos nuper non ultimus inter amicos,
20 nunc decet officii te meminisse tui.
21 Nam si verus eras, ut eras, viventis amicus
22 idem defuncti manibus esse velis.
23 Et mea perpetuae transcribere nomina famae,
24 addere et in tumulo verba legenda meo."
25 Finierat, paucis mihi respondere paranti,
26 attonita exsanguis venit in ossa tremor.
27 Nam quia praeterita pallentem morte videbam,
28 vix potui timida talia voce loqui.
29 "O decus aetatis Durerei et gloria nostrae,
30 quod petis e nostro carmine juris habes.
31 Sponte daturus eram, si non etiam ipse petisses,
32 tam tibi perpetuo haec constat amice fides.
33 Multo plura etiam tibi nos debere fatemur,
34 paupere possimus quam dare dona manu."
35 Verba, videbatur capite annuere ista locuto,
36 toto ipse ut fugerem corpore nixus eram.
37 Jamque id conantem motis ad inania membris
38 somnia, deseruit plena labore quies.
39 Frigidus in toto manabat corpore sudor,
40 qui jam gratus erat terruit ante labor.
41 Protinus aurorae caelum petiere jugales,
42 et nitidum claro lumine mane fuit.
43 Quassabam calamos, digitosque in verba coegi,
44 quaeque vides subito scripta labore dedi.
45 Sed licet ipse neges oraclum haec visa fuisse,
46 hoc tamen Alberti nomine carmen ama.

AD PICTORES NE DURERI LAUDIBUS OFFENDANTUR.

E_5 v.1 Nomen Apellaeas quibus est et fama per artes,
2 o bona pictorum turba, sacerque chorus.
3 Ne rogo succensete meis utcumque Camenis,
4 dum nimis Alberto laudis honore favent.
5 Non hac laude decus vestrum minuisse volebant,
6 sed, quem laudatis vos quoque laude vehi.
7 Nunc quoque de vobis non ignoramus haberi,
8 qui possint summis laudibus esse pares.
9 Sed quia summa dies virtutem liberat omni
10 invidia, nihil hic suspicionis erat.
11 Et quae de vivis pudor est dixisse, licebat
12 post cineres lingua liberiore loqui.
13 Quamvis hos velent mendacia nulla colores,
14 offendisse tamen pectora prava queant.
15 Ergo bonos omnes volui hac in parte rogatos,
16 istud iniquo animo ne paterentur opus.
17 Si sit ab hac aliquis vestrum ratione canendus,
18 quod nolim meritis laudibus ipse feram.
19 Nam si est, ut perhibent, similis pictura poesi,
20 illius haec merito debuit esse comes.

EPITHAPHIA IN ALBERTUM DURERUM.

E_6 v.1 Quo situs Albertus tumulo Durerus, eodem
2 picturae ratio tota sepulta jacet.

ALIUD.

E_7 v.1 Artis et ingenii laudem si fata morentur,
2 certum est Durerum non potuisse mori.
3 Ergo sub hoc nondum totus jacet ille sepulcro,
4 ingenii famam vivus ad astra tulit.

ALIUD.

E_8 v.1 Quid properas ? Subsiste parum, lecture viator,
2 hic sita Durerei molliter ossa cubant.
3 Est operae pretium talem spectare ruinam,
4 cum qua picturae concidit omnis honor.

ALIUD.

E_9 v.1 Quid vitam coluisse juvat quascumque per artes,
2 quando ea momento mors rapit atra brevi ?
3 Par fuit Alberto pictorum nemo, sed illum
4 fata diu summum non potuere pati.
5 Praescidit ergo viri vitam mors falce maligna,
6 et dixit moriens, sic quoque non moreris.

IN FUNERE DOCTISSIMI VIRI MUTIANI RUFII EPICEDION.

E_10 v.1 Si qua minus veris lacrimis ego funera fleui,
 2 si qua mihi in luctus ficta querela fuit,
 3 qualibet illa pios imitata sit arte dolores,
 4 forsitan et falsis fecerit esse fidem.
 5 Nulla hic est ratio talis, non artibus istis,
 6 condicio certe muneris hujus eget.
 7 Hic verae lacrimae, nunc veri maesta dolores
 8 plectra movent, vero nunc libet ore queri.
 9 Postquam est indigno consumptus funere Rufus,
 10 Rufus ab Hessiatis notus ad astra jugis.
 11 Ponite lugentes ridentia carmina, Musae,
 12 sumite luctificae tristia plectra lyrae.
 13 Ecce jacet vestra lacrimabile corpus in umbrae,
 14 non alio potuit mortuus ille rapti.
 15 Ultima clausistis morientis lumina Rufi,
 16 inter enim vestras occidit ille manus.
 17 Hei mihi quod, quam vos animis dare saepe soletis,
 18 corporibus vitam non datis esse diu.
 19 Ire libet nemora et saltus peragrarare locosque
 20 omnia quae Rufo nota fuere meo.
 21 In quibus ipse olim vivus cantare solebat,
 22 carmina fatales saepe morata manus.
 23 Carmina quae certe tunc cum moreretur, ab illo
 24 traxerat irata saevus Apollo manu.
 25 Vos quoque tunc habuit regio diversa, nec ullam
 26 tunc misero vestra voce tulistis opem.
 27 Spargite inane viri corpus lustralibus undis,
 28 exsanguis liquido rore lavate genas.
 29 Sed nec opus vobis deferre cadaver ad undas,
 30 nec vitreas puri quaerere fontis aquas.
 31 Nostra dabunt riguos lacrimarum lumina fontes,
 32 ex nostris oculis Phocidos unda fluet.
 33 Flere libet quali doctum flevisse Bionae,
 34 carmine Trinacrius creditur ante senex.
 35 Tristia lugentes suspiria ducite silvae,
 36 qualescumque vident Hessidos arva plagae.
 37 Nunc nemora et saltus miseris ululate querelis,
 38 nunc lacrimas habeat quaelibet herba suas
 39 tristibus, heu, maesti flores spirate corymbis,
 40 lugubribus jaceant lilia mista rosis.
 41 Nunc, Hyacinthe, sonet tua littera scilicet ai, ai,
 42 non tamen ista satis plena querela fuit.
 43 Ergo notas folio plures inscribe rubenti,
 44 longius ut possit littera scripta queri
 45 occidit indigno sublatus funere Rufus,
 46 Rufus ab Hessiatis notus ad astra jugis.
 47 Lusciniae densa foliorum in fronde querentes,
 48 fundite flebilibus carmina maesta sonis.
 49 Dicite lugenti patriae cecidisse Poetam,
 50 lumine quo casso mortua Musa jacet.
 51 Hessiatis nunc flete ad aquas lugubria cygni,
 52 gutturibus fractis clangite triste melos.
 53 Dulce tamen, quale ipse melos cantare solebat,
 54 cum libuit querula ducere saxa chely.

55 Dicite lugenti patriae, narrate poetis,
56 quos nemorum silvis Hessia dives habet :
57 interiit fatis crudelibus Hessianus Orpheus,
58 Musarum patriae gloria Rufus erat.
59 Rufe per Hessianos quondam notissime colles,
60 quis tua flere satis funera maesta queat ?
61 Ipse tuam mortem flavus deflevit Apollo,
62 odit et irata spicula sumpta manu.
63 Lanificae corpus videre exsanguis sorores,
64 cum sic audita est de tribus una loqui.
65 Quis malus hic nostris obrepsit legibus error,
66 cur non hic vires nos habuisse pudet ?
67 Nos tamen invitae fatalia stamina Rufo
68 rupimus, heu nostra non reparanda manu
69 quod nisi nostra loco non possent jura moveri,
70 certum erat huic vitam restituisset viro.
71 Dixit et obducto siccabat lumina peplo
72 nec reliquae lacrimas continuere duae.
73 Ponite lugentes ridentia carmina Musae,
74 sumite luctificae tristia plectra lyrae.
75 Occidit indigno sublatus funere Rufus,
76 Rufus ab Hessianis notus ad astra jugis.
77 Flumina nunc maerent quaecumque per Hessida terram
78 nunc tandem gravibus plena feruntur aquis
79 flumina linquentes tristantur Naiades udae,
80 omnis et in lacrimas unda soluta fluit.
81 Paene suos retro tulit aurifer Aedera cursus,
82 mortis ut audivit nuntia, Rufe, tuae.
83 Tardior assueto piscosus Fulda fluebat
84 vitreus informi Verra stupebat aqua.
85 Tristia nec rapidum latuerunt fata Visurgim,
86 tunc visum nullas transposuisse rates.
87 Attonito Lanus vada miscuit anxia Rheno,
88 vorticibus tacitis luridus Homa stetit.
89 Et quae praeterea pulcherrima flumina circum
90 Hessianas Musae Naiadesque colunt.
91 Flerunt intonsi petrosa cacumina montes
92 humor aquae siccis fluxit Oreadibus.
93 Ipsa tuos cantus scopulosa per avia quaerit,
94 et reliquis Echo vocibus icta silet.
95 Maesta dolet quoniam tibi non respondeat Echo,
96 Rufe, tuo ablato carmine certa mori.
97 Morte tua sterilis facta, et sine frondibus arbor
98 aruit, et florum languit omne decus.
99 Quas tu olim volucres cantu oblectare solebas,
100 nulla sub arborea carmina fronde canunt.
101 Ponite lugentes ridentia carmina Musae,
102 sumite luctificae tristia plectra lyrae.
103 Non tantum aequoreis Delphin lugebat in undis,
104 non tantum Ismarium Daulias ales Itim.
105 Non tantum Alcyone luxit Ceyca peremptum
106 non tantum in vacuis flevit hirundo jugis.
107 Non sic ingemuit Glaucis in fluctibus olim
108 pacifer aequoreas Cerylus inter aves.
109 Non adeo flerunt volucres ad busta volantes
110 Memnonis, in gelidis vallibus, Eure, tuis.
111 Quantum omnes lugent tua tristia funera, Rufe,
112 Rufe, Deum laevo numine jusse mori.

113 Quae tibi contulerant faciles pulcherrima Musae
114 munera, morte tua mortua, Rufe, jacent.
115 Multae urbes flevere suos ceu numina vates,
116 nobilis arx patriae te gemit alta tuae.
117 Non sic Ascra suum flevit petrosa poetam,
118 non sic Pindaricas Helladis ora fides,
119 non sic Alcaeï nec doctae carmina Sapphus
120 flevit in Ionia cognita Lesbos aqua.
121 Non sic parva suum ploravit Cea poetam,
122 non sic Archilochum marmore nixa Paros.
123 Carminibus quicumque valent et voce Poetae
124 deplorant mortis tristia fata tuae.
125 Te prior aethereas abiens Huttenus ad arces
126 lugebat mortis fata futura tuae.
127 Nunc quoque credibile est ipsum in regionibus illis
128 te canere, et vitam deseruisse queri.
129 Plorat adhuc brevibus plectris tua funera Cordus,
130 Cordus honor patriae delictumque suae.
131 Te gemit ad liquidum viridantia littora Moeni,
132 Micyllus clarum tangere doctus ebur.
133 Te meus ad Pegnesiacam Camerarius urbem,
134 conqueritur faciles non habuisse deos.
135 Musa nec Ebneri reticet juvenilis Erasmi,
136 fata satis vitae non tribuisse tuae.
137 Carmina morte tua tam tristia concinit Hacus
138 dulcia quam moriens guttura fractus olor.
139 Carmine et ore virens luget tua fata Sabinus,
140 qua trahit illimes Albis avarus aquas.
141 Ipse quibus lacrimis, quo te fleat ore Philippus,
142 non facile expediat Pieris ulla tibi.
143 Velius extinctum lepido te carmine luget,
144 summa Silesiados Velius aura plagae.
145 Lauriger Helvetiis te Glarea luget in oris,
146 Brassica te tristi deflet uterque lyra.
147 Quid referam quanto suavis te cantet Ionas
148 carmine, cum libuit voce lyraque potens.
149 Quos tibi dilectus quondam Spalatinus honores
150 exhibeat maesto carmine, nemo rogat.
151 Ille suas de te noctesque diesque querelas
152 ingeminat, numquam non memor ille tui.
153 Verum ego Noridibus quae nunc tibi solvo Camenis,
154 carmina sera quidem, sed tamen apta ferēs.
155 Haec ego nunc Musis pro te fero carmina, Rufe,
156 ante sepulcralis condita busta rogi.
157 Sumite lugentes plorantia carmina, Musae,
158 et date venturo tempore posse legi
159 Tu quoque si qua super mens est de funere tali,
160 Rufe, fer haec animi munera grata mei.
161 Sicut enim cum dulcis adhuc te vita teneret
162 semper eras nostri maxima fama chori.
163 Sic tua nunc postquam dulcis te vita reliquit,
164 perpetuo memores nos decet esse tui,
165 Nam quis te gravior ? Quis te constantior umquam
166 dulcis amicitiae jura tenere fuit ?
167 Quis Musas potuit fovisse benignior hospes ?
168 Teutonides Musae quem coluere magis ?
169 Atque hoc ut nimium fuerit, num jure rogemus
170 Aederides Musae quem coluere magis ?

171 Me quem nascentem primum vagus Aedera vidit
172 nullius ingenii movit imago magis.
173 Heu pudet, et dolor est nemora amplius illa videre,
174 in quibus est vitae fixa tabella tuae.
175 Heu domus, heu culti tandem sine floribus horti,
176 quis vos successor dignus habere potest ?
177 Quis nunc vos placidae studiorum possidet umbrae ?
178 In quibus ingenii nobilis ara stetit.
179 Quam mihi grata fuit blando domus illa recessu,
180 tam nunc ingrata est lumine cassa suo.
181 Quam Gotha vicinis residens in collibus Hesso,
182 tam quoque nunc longe dissita visa mihi est,
183 illa mihi hiberno vernabat sidere tellus,
184 quae Musas tenuit, Rufe beate, tuas.
185 Nunc hiemant illi verno mihi sidere colles,
186 in quibus idem olim maxima turris eras.
187 Donec in his istam tenuisti sedibus arcem
188 felicis fuerant aurea rura Gothae,
189 postquam tranquillam non incolis amplius arcem
190 frigescunt sterilis sordida rura Gothae.
191 Otia ducebas vitae tranquilla beatae,
192 nec Venus in partes venerat ulla tuas.
193 Sancta salutifero psallebas júbila Christo
194 nulla tibi strepitus cura forensis erat.
195 Simplicis et veri fueras candoris amator,
196 in tua non venit pectora livor iners.
197 Omnes ingenua doctos pietate colebas,
198 Tam sub te positos, quam tibi, Rufe, pares.
199 Et quamquam fortuna tuis virtutibus esset
200 invida, fortunam vincere doctus eras.
201 Cuncta habuisse tuis tua te communia amicis,
202 non uni tantum res ea nota mihi est.
203 Quid referam, quod eras claris natalibus ortus,
204 per te est nobilior Mutia facta domus.
205 Tot bona, tot laudes, tot in unum munera pectus,
206 condita, mors avida traxit acerba manu.
207 Et plures alios potuisti vivere in annos,
208 non fuerant vitae languida fila tuae.
209 Vix tibi lustra decem rigidae clausere Sorores,
210 jam nova nix capiti coeperat esse tuo.
211 Et vigor in membris, et adhuc juvenile vigebat
212 robur, et infracto pectore firmus eras.
213 Invidit Nemesis, durae invidere Sorores
214 credo nimis veritae vivere posse diu.
215 Cumque tot annorum transisses limina Jani
216 paene senex retrahi visus es ante diem.
217 Verum age lugubres sistamus Musa querelas,
218 nil prodest miseris tristia verba loqui.
219 Tu mihi salve animis intersite, Rufe, beatis,
220 nunc quoque pars animi maxima, Rufe, mei.
221 Moenia flammantis transcenderis aurea mundi,
222 nec tua Tartareis exsulet umbra plagis.
223 Quoque jaces viridi sub caespite, Rufe, sepultus,
224 aurea pro spinis semper amoma ferat.

ULRICHI HUTTENI EQUITIS AC POETAE EPICEDION.

MORS ET HUTTENUS COLLOQUUNTUR.

MORS

E_11 v.1 Tu quoque, magnifice, qui nos, Huttene, solebas
2 spernere, magnifico vulnere strate jaces.

HUTTEN.

3 Non jaceo, nec adhuc non te mors improba sperno
4 in quem necdum aliquid juris habere potes.

M.

5 Nempe jaces nostri confossus arundine teli
6 hoc in te certe jus habuisse fuit.

H.

7 Non jaceo, nec tela tuae mala sentio dextrae
8 et nec adhuc pars est ulla sepulta mei.

M.

9 Nempe jaces, clauditque tuum brevis urna cadaver
10 an, qui sic jaceat, non cecidisse putas ?

H.

11 Ut jaceant alii quos te stravisse superbis
12 ipse tibi invictus te feriente steti.

M.

13 Hoc si stare fuit, si hoc non ergo jacere est,
14 dic age quo pacto te cecidisse neges ?

H.

15 Non alia quam qua divi ratione feruntur
16 in casses numquam posse venire tuos.

M.

17 Quod si divus eras, cur sic rationis egebas
18 ut caderes nostra dive perempte manu ?

H.

19 Nec cecidi, nec divus eram, quid me improba captas
20 pars etenim superest maxima viva mei.

M.

21 Stulte, quid ambiguam post fata novissima vitam

22 captas ? Haec fatuae somnia mentis erant.

H.

23 Vivo equidem, neque si corpus malesana tulisti,
24 vis animo venit vulneris ulla meo.

M.

25 Quid tibi fallaci blandiris imagine vitae ?
26 Omnis ab exstincto corpore vita jacet.

H.

27 Quid mihi damna vagae mentiris inania mortis ?
28 Major ab exstincto corpore vita manet.

M.

29 Ut sibi jam fingant aliquam tua somnia vitam,
30 fabula quid vitae proderit ista tibi ?

H.

31 Quam mea fama mihi tribuit verissima vitam,
32 adserit, et superis me facit esse parem.

M.

33 Diisne parem faciat te fama levissima, cujus
34 facta est, atque eadem corporis umbra tui ?

H.

35 Non ita, namque brevi clausum est breve corpus in urna
36 fama manens pulsata Solis utramque domum.

M.

37 Ad te fama nihil tua pertinet amplius, ex quo
38 seu bona, seu mala sit, nil tibi scire licet,

H.

39 Non ita, nam manes venit et bona fama sub imos
40 et mala apud superos nulla relictata mihi est.

M.

41 Ergo quid utilium confeceris optime rerum
42 scire operae pretium te referente mihi est.

H.

43 Quamquam teste egeat nullo mens conscia recti.
44 Non tamen est ullus dicere vera pudor.

M.

45 Dic igitur, quia non pudet hic quoque vana fateri
46 quae vivus faciunt ut videre tibi.

H.

47 Parvus ad huc primaque notans lanugine malas
48 Musarum certo numine plenus eram.
49 Talia concinui juvenili carmina plectro.
50 Qualia permulti non potuere senes.
51 Inter et aequales vigui, quantumque recordor,
52 indole me nemo liberiore fuit.

M.

53 Jam minus admiror, genus hoc sibi semper ineptum
54 promittit nullo tempore posse mori.
55 Sed cur nulla meas remorantur carmina vires ?
56 Cur etiam vates spicula nostra petunt ?

H.

57 Nil nobis tua tela nocent, quidavara superbis ?
58 Desine, dum coepta cetera lege sequor.
59 Paene puer varias gentes et plurima vidi
60 oppida, fortunae victor ubique trucis.
61 Nam mihi plus aliis saevit Dea caeca, nec umquam
62 desiit indignis exagitare modis.

M.

63 Cur non et generis velles meminisse, quod illo
64 clarior et mors est et tua vita fuit.

H.

65 Non pudet ingenuis adeo natalibus ortum,
66 ut fuerim patrio sanguine Francus eques.
67 Sed mihi plus curae fuit, ut generosior essem,
68 divitis aeternis dotibus ingenii.

M.

69 Quid tamen hoc prodest postquam nos ista tenemus
70 omnia ceu forti capta tropaea manu.

H.

71 Corpus avara tenes clausum, teneasque sepulcro,
72 me mea cum superis vita superstes habet.

M.

73 Nondum digna satis vitae miracula peractae,
74 queis vel adhuc possis vivere, facta refers.

H.

75 Prima rudimentis clausa est juvenilibus aetas,
76 digna viro gessit munera vita sequens.
77 Nam patriae laudes, et libertatis ademptae
78 jura, manu, calamo, fortiter adserui.

M.

79 Quas laudes ? Quae jura refers ? Quibus adseris armis
80 an meritis eguit Teutonis ora tuis ?

H.

81 Incluta Pontifices Germania passa tyrannos
82 non tantum est meritis visa eguisse meis.
83 Quam mea facta licet non possent sola levare,
84 quae tamen huic potui commoda ferre, tuli.

M.

85 Qua ratione precor ? Nam tu nec corpore firmo
86 nec fortunae opibus permetuendus eras ?

H.

87 Viribus ingenii praesentia damna levabam
88 corporis, atque isto nomine fortis eram.
89 Et mea raptos fregerunt scripta Cinaedos,
90 plus quam mille aliis ullius arma modis.
91 Nec tamen imbellis fueram, nec corpore fractus,
92 vulnera multa dedi, vulnera multa tuli.
93 Scit Romana lues bullarum turba ministri,
94 nec tu strate mihi Galle superbe negas.
95 Quod tamen infirmi mihi corporis objicis artus,
96 postremi vitium temporis illud erat.

M.

97 Straveris et Gallum, et Romanum fregeris hostem :
98 fractus es, et stratus non minus ipse mihi.

H.

99 Principibus quoque carus eram, sed plena malorum
100 tempora, non sunt hoc passa fuisse diu.

M.

101 Nil moror ut fueris carissimus omnibus, hoc te
102 plus iidem fato procubuisse dolent.

H.

103 Stultitia haec equidem mortalibus omnibus una est
104 ut quod tu rapias, hoc periisse putent.
105 Illi igitur nostro funebria justa sepulcro

106 solvant, et lacrimis mortua membra rigent :
107 me mea stultitia securum fecit ab ista,
108 quae nunc est alio vita futura loco.

IN FUNERE CLARISSIMI JOANNIS REUHLINI PHORCENSIS. EPICEDION.

E_12 v.1 Si bonus exstinctum crudeli funere Daphnim,
2 Tityrus Andinas concinit inter oves.
3 Sicelis ereptum si flevit arundo Bionem.
4 Si casus eadem luxit, Adoni, tuos.
5 Si Maecenatem quisquis fuit ille, beatum
6 flevit, et Augusto carmina digna dedit.
7 Tristia si magni deflevit funera Drusi,
8 qui lacrimas tersit Livia sancta tuas.
9 Si tener amissum ploravit Naso Tibullum,
10 ante diem Stygiae membra dedisse rati.
11 Si defleta tibi est tua Cynthia, docte Properti,
12 illaque quae Paulo conjuge clara fuit.
13 Denique si magnum deflevit Musa Maronem,
14 jussa sacro magni Caesaris ore loqui.
15 Nos, Reuchline, tuo nullos in funere fletus
16 mittere, res veniam non habitura fuit.
17 Cujus ad interitum latis Germania campis,
18 ingemuit cladis vulnera fassa novae.
19 Quem sic exstinctum fortes luxere Suevi,
20 ut natum genitrix unica flere solet.
21 Et merito, quid enim praeclarius extulit umquam,
22 inclyta gens bello divitiisque potens ?
23 Dicite Sueviades lugubria carmina Nymphae,
24 vestra novum certe gloria vulnus habet.
25 Qualis erat quondam Scythicis Anacharsis in oris,
26 et tibi Pythagoras aequore cincta Samos.
27 Qualem cognovit Mitylenae Pittacon olim.
28 Orpheus qualis erat barbara Thraca tibi.
29 Talis Reuchlinus tibi erat Germanica Phorcyn
30 et tibi Germano quisquis in orbe colis.
31 Dicite Sueviades lugubria carmina Nymphae,
32 amisso luget nomine vester honor.
33 Parca sub Elysias Reuchlinum transtulit umbras,
34 delicias nostras invida Parca tulit.
35 Est locus aurorae primo surgentis in ortu,
36 aerae supra lucida regna plagae.
37 Ille vel Hesperidum cultis certaverit hortis,
38 Alcinoi varium vicerit ille nemus.
39 Tam facili vernant aeterna rosaria cultu,
40 luxuriat vivo germine dives humus.
41 Aurea felicem pingunt violaria campum,
42 nulla est in tali pestilis aura loco.
43 Dicite Sueviades lugubria carmina Nymphae,
44 paene jacet vestri gloria fracta chori.
45 Illic felices inter nunc pascitur umbras,
46 vivifica potu nectaris, ambrosia.
47 Non quali pavisse deos pater ille deorum,
48 fertur ad ardentem Juppiter Oceanum.
49 Sed qualem, caeleste animae genus, esse suerunt,

50 quas sua per Christum pascit adulta fides.
51 Felices animas, quibus obtigit ista voluptas,
52 usibus a cujus vita beata venit.
53 Felicem te, dive, tuo, Reuchline, recessu,
54 quam bona mutata nunc loca sorte tenes.
55 Dicite Sueviades lugubria carmina Nymphae,
56 vestra fere falsum gaudia nomen habent.
57 Nec te paeniteat, doctissime, nominis hujus
58 Suevia, nam patria est non Pelopea tibi.
59 Quis tamen argutis satis approbet omnia Graiis ?
60 Non vis Reuchlinum Capnio forte placet.
61 Haec quoque si Latias vox non arridet ad aures
62 hei quales flammis fumulus iste dedit.
63 Clarior ille fuit rutilanti fumulus astro,
64 quod Venus in molli confovet alma sinu.
65 Fumulus ille diu sopitos excitat ignes,
66 lampadis ille novi fumulus instar habet.
67 Dicite Sueviades lugubria carmina Nymphae,
68 dimidio vitae gloria vestra caret.
69 Non fuit eloquii potior virtute Latini,
70 Graecia Reuchlino cognita tota fuit.
71 Primus Judaeas voces et barbara nostras,
72 Chaldaeo docuit verba notanda sono.
73 Astrorum caelique vias et sidera novit,
74 novit inhumanae tertia regna plagae.
75 Illi, si qua potest humanas ulla per artes,
76 gloria plena dari, gloria plena data est.
77 Dicite Sueviades lugubria carmina Nymphae,
78 non habet auctorem gloria vestra suum.
79 Claviger invictam capitum grege contudit hydram
80 perdidit hic isto durius angue malum.
81 Nam quae lerna magis totum grassata per orbem,
82 quam Monachum nuper bardocucullus erat ?
83 Ipsius hanc avide populantem viscera pestem,
84 reppulit, et victae jura superba dedit.
85 Dicite, mendicae volucres, quae causa coegit,
86 eximium rostris impetiisse virum.
87 An quia vos fatuae contemnit omnia picae,
88 quae reliquae metuunt et venerantur aves.
89 Nulla sed interea nisi frivola bella movetis,
90 atque estis sola garrulitate truces.
91 Dicite Sueviades lugubria carmina Nymphae,
92 gloria sub lacrimis vestra sepulta jacet.
93 Heu, dolet et frustra dolet, et res stulta profecto est
94 hic ubi nil prodest, velle dolere, dolor.
95 Sed quis tam justo possit pugnare dolori ?
96 Ipse dolor causam saepe doloris habet.
97 Hac quoque communi studiorum clade, quis umquam,
98 riserit ? Aut quis tam saxeus esse queat.
99 Tam fera barbaries nulla est, quae vulnere tali
100 non aliquo nequeat condoluisse modo.
101 Dicite Sueviades lugubria carmina Nymphae
102 non est incolumi gloria vestra statu.
103 Tene beate deo nullis Reuchline fleamus,
104 nec tua condamus funera carminibus.
105 Te patriae flevere tuae, fortissima bello
106 pectora, te gravibus Rhenus et Ister aquis.
107 Quantum afflicta tuo fuerit Germania fato

108 flumina paene audent, mutaque saxa loqui.
 109 Unde etenim bona quae tecum periire resumat ?
 110 Unde iterum dotes est habitura tuas ?
 111 Dicite Sueviades lugubria carmina Nymphae,
 112 dicite nunc penitus gloria nostra jacet.
 113 Regna colas vere melioris tertia mundi
 114 qua niveas ducit signifer agnus oves.
 115 Qua sedet, et magnum nutu rex temperat orbem,
 116 quem peperit verum virgo puella Jovem.
 117 Sit tibi, sancte senex, requies in partibus illis
 118 quam rabies monachum nulla movere queat.
 119 Terra tui teneat placidissima corporis ossa,
 120 et tua in aeternos stent monumenta dies.

CLARISSIMI VIRI BILIBALDI PYRGHAYMERI
 PATRICII NURENBERGENSIS AC AUGUSTALIS CONSILIARII,
 QUI MORTUUS EST ANNO M.D.XXXI. MENSE JANUARIO, EPICEDION.

E_13 v.1 Quid juvat assiduis incessere fata querelis,
 2 saepius et nimio dura fuisse queri ?
 3 Viribus aeternis manet immutabile robur,
 4 quod sibi fatales constituere deae.
 5 Quare age, ne nostro lacrimas in funere funde
 6 patria, nec longi signa doloris habe.
 7 Non ego lugentes abii velut exsul ad umbras,
 8 altera te potior patria nacta mihi est.
 9 Quam bene condicio vitae est mutata prioris,
 10 quae, mihi si quis ad hanc conferat, umbra fuit.
 11 Creditus interiisse tibi, nunc vivere primum
 12 incipio, et vere muneris esse mei.
 13 Nec tu cive tuo te orbatam credere debes,
 14 qui nunc non minus est, quam fuit ante tuus,
 15 cujus ab exsequiis tibi major imago resurget,
 16 fama quidem vivis esse maligna solet.
 17 Omnia mors aperit deterso nomina fuco,
 18 nube sub invidiae quae latuere prius.
 19 Quamquam ego non latui, quamquam mea clara fuerunt
 20 nomina, splendent nunc tamen illa magis.
 21 Nam tibi multa et magna satis monumenta reliqui,
 22 illa meo quiddam corpore majus habent.
 23 Corpus iniqua quidem morbis attriverat aetas,
 24 ingenii semper gloria firma stetit.
 25 Non hoc pestis atrox, non hoc declivior aetas
 26 excusso potuit dissoluisse statu.
 27 Mansit, et extremos firmum pervenit ad annos,
 28 hoc mors non potuit cogere saeva mori.
 29 Nec tibi profuerat corpus quod inutile fecit,
 30 mille modis aetas, crux data mille modis.
 31 Profuit hic animus tibi patria, proderit idem,
 32 dum decus ingenii corpore majus erit.
 33 Quamquam dum solidas vires animosa senectus
 34 sufficeret, miles non tibi turpis eram.
 35 Nec te credo mei post tot benefacta pudebit,
 36 utilis est virtus nunc quoque nostra tibi.
 37 Et si permittis de me mihi dicere, postquam

38 invidiae stimulis gloria vera caret.
39 Plus tibi praestiterant solidae mea nomina laudis,
40 quam foris aut vires divitiaeve domi.
41 Ipse tuam fovi per regna externa salutem,
42 ipse tui vindex semper honoris eram.
43 Pro te saepe tuli discrimina maxima, pro te
44 saepe steti supplex Caesaris ante thronum.
45 Maximus eximiis me laudibus Aemilianus
46 Caesar honoratum jussit habere locum.
47 Nec me Caesarea potior fuit alter in aula
48 consiliis, rerum fructibus, ore, fide.
49 Nec mihi defuerant virtutes militie
50 bellica sunt ductu signa relata meo.
51 Sed poterant de me speciosius ista referri
52 pluraque quae prohibet dicere facta pudor.
53 Haec tibi si qua potest exsistere causa querendi
54 abstulit haec durae mortis avara manus.
55 Nec mihi profuit ingenuas cumulata per artes
56 gloria, quo caderet corpus inane minus.
57 Non sacra magnorum mysteria cognita vatum,
58 quidquid et arcanum littera sancta docet.
59 Omnia non sacri lustrata volumina juris,
60 non quidquid medicae cura salutis habet.
61 Omnia non facili tenuisse mathemata sensu,
62 quodque aliquis magnos rhetoras inter eram.
63 Non operata diu duplicis facundia linguae
64 denique non quidquid Pallas amare potest.
65 Haec mors cuncta tulit, nihil horum ingrata reliquit,
66 si spectes miseri corporis officium.
67 Si vero aeternae, quod debes, nomina famae,
68 taliam cum vellet tollere dona, dedit.
69 Sicut enim corpus consumit avara receptum,
70 sic dona ingenii splendidiora facit.
71 Parte igitur meliore mei tibi cara superstes
72 sum patria, hac numquam mortuus esse ferar.
73 Tu monumenta stude nostri retinere favoris
74 si sapis, ut maneant quam diuturna tibi.
75 Inde mei similes multos ut habere labores
76 admonitam et memorem te satis esse velim.
77 Ne placidi tantum spectes commercia lucri
78 rei non indignae si tueare modum,
79 quod si divitias studiis sapientibus ornes,
80 aequari nulla laus tua sorte queat.
81 Sicut enim flores rerum moderamine laeto
82 sic artes debes laeta fovere bonas.
83 Atque animum studiis tanto magis addere, quanto
84 sordescunt isto tempore spreta magis.
85 Quod si non facies, neque credes ista monenti,
86 quo te paeniteat jam tibi tempus erit.
87 Nec procul illud erit tempus, nisi cauta futuri,
88 praevenias cladis tristia damna tuae.
89 Qua facere id possis, nec tu nescire videris
90 nec decet hic manes consuluisse tibi.
91 Quamquam consiliis mens libera corporis aestu,
92 plus valet, et propius cunctaque seque videt.
93 Tu mihi, si qua voles impendere praemia honorum,
94 fac cineri solvas omnia justa meo.
95 Hic ubi Pegnesus pulchram vagus alluit urbem,

96 quae de Teutonica Noride nomen habet.
97 Hic mihi constitues clari monumenta sepulchri
98 in quibus abjecti corporis ossa cubent.
99 Et positum in viridi signabis caespite marmor
100 sive hoc, sive alio carmine forte voles.
101 Nuper in hac reliquum Bilibaldi condidit urna
102 quam civi posuit patria grata suo.
103 Hunc mihi tu statues tumulum monumenta, per orbem
104 ipse mihi feci non peritura. Vale.

IN FUNERE SUMMI VIRI MERCURINI PRINCIPIS CHATTINARIAE,
DIVI CAROLI IMP. CAESARIS V CONSILIARII
AD CLARISS. VIRUM JOANNEM DANTISCUM
EPISCOPUM CULMENSES, AC REGIUM POLONIAE LEGATUM.
EPICEDION.

E_14 v.1 Cui sua divitias virtus et honesta laborum
 2 opes honestas contulit patientia.
 3 Scribere me, Dantisce, jubes "Epicedia" magni
 4 quae Mercurini funus ornet laudibus.
 5 Fas mihi mandatis animo parere volenti
 6 tua cuncta jussa quem decet, capescere.
 7 De me sic meritus cum sis, et sic tua virtus
 8 et postulet haud vulgaris eruditio.
 9 Accipe sed lacrimis alieno carmina plectro
 10 ratione scripta Mercurini nominis.
 11 Quod quia spreverunt Elegi tractasse rebelles
 12 successit his iambus aequus arbiter,
 13 quondam criminibus nunc aptus et ille querelis,
 14 et ante saepe lectus in funebribus.
 15 Tempore quo tetricae ruperunt fila sorores
 16 tibi, Mercurine, Chattinariae domus
 17 eximium decus, ad tumulum venire frequentes,
 18 divae daturae justa funeri tuo.
 19 Prima bonis virtus comitata sororibus ibat
 20 probitate, lege, pace, justitia, fide.
 21 Ibat et ipsa suis sapientia cincta ministris,
 22 modestia, pietate, fortitudine.
 23 Ex his triste duae feretrum subiere priores
 24 capulum sequentes ingemuere ceterae.
 25 Praecipue pax atque fides, quas ille solebat
 26 in tempus omne amare constantissime.
 27 Justitia indecores flebat laniata capillos
 28 audita sive hoc, sive tale quid loqui.
 29 Quae modo ab exilio duce te revocata videbar,
 30 te, Mercurine, abeunte rursus avocor.
 31 Conscidit alma fides lacerae subtegmina pallae
 32 et ejulabat ut solent miserrimae.
 33 Ingemuit probitas solam se quæsta relinqui
 34 quod occidisset ipsius verus pater.
 35 Quis numerare queat, quot in illo funere divae
 36 bonis amicae lacrimas effuderint ?
 37 Quas neque crediderim tantum doluisse, cicuta
 38 quando extulere consopitum Socratem.
 39 Nec plures lacrimas magno fudisse Platoni

40 cum sternerent funebre diversorium.
41 Non sic Democritum flerunt non Pythagoraei
42 ad haud parum lacrimosa busta funeris.
43 Nec tantum ille chorus virtutum Heroinarum,
44 funebre solvit Mercurino debitum.
45 Verum etiam super Aonides venere puellae
46 nec defuere contorales Gratiae.
47 Quae procul e tumulo spectantes tristia magni
48 sed gloriosa Mercurini funera.
49 Constiterant maestae gemitusque dedere Camenae,
50 collacrimantes adstiterunt Gratiae.
51 Cum sic prae reliquis de ter tribus una locuta est,
52 fuisse credas Uranien amabilem.
53 Heu dolor, hoc etiam Parcis licuisse superbis,
54 quis aequiore pectoris sensu ferat ?
55 Ecce jacet nostri quondam defensor honoris,
56 nos ille semper excolebat unice.
57 Quanto nostra salus orbata est praeside ? Quanto,
58 orbata patre vera virtus exsulat ?
59 Quale, Auguste, tuo decessit lumen honori,
60 letale vulnus hocne sentis, Carole ?
61 Nemo tuae melior, te principe, praefuit aulae,
62 meliusque rebus nemo consuluit tuis.
63 Pacis et armorum fuit arbiter aequus, et idem
64 auctoritate summus, invictus manu.
65 Magnarum contemptor opum, pietatis imago
66 rarissima altae fama temperantiae.
67 Invidere tuis talem fata impia rebus,
68 Auguste Caesar o beate, praesidem.
69 Ne tibi quo posses veterum virtute priorem
70 te gloriari dira sors relinqueret.
71 Nam fuit ille tibi, quod Maecenas fuit olim
72 tuo bonus ter maximo cognomini.
73 Quod fuit Aeacidae Phoenix, quod Nestor Atridae,
74 quod Mentor incluto senex Ulixeo.
75 Quod fuit Aeneae magno generosus Achates,
76 quod glorioso Ephestion Philippidae.
77 Nunc tamen ille brevem tantus tenuatur in urnam,
78 et vix inane nomen exstat illius.
79 Vos mihi nunc maestae date lilia pulchra sorores,
80 cumulemus ut sepulcra floribus novis.
81 His saltem illustrem decoremus honoribus umbram,
82 fungamur hoc, quamvis inani munere.
83 Talibus Uranie dictis affata sorores
84 confusa tristes ejulatus aedidit.
85 Nec Charites tacuere, sed e tribus una locuta est
86 Thalian hanc fuisse floridam ferunt.
87 Nos larga dedimus caelestia munera dextra,
88 tibi, Mercurine, queis placebas omnibus.
89 Luminibus blandam tibi nos afflavimus auram,
90 nos vultui tuo perennem gratiam.
91 Nos decus indidimus majestatemque verendam,
92 tuoque robur haud iniquum corpori.
93 Nostrum munus erat quae te facundia divis
94 aequavit ipsis, praetulit mortalibus.
95 Quid tamen haec prodest tibi nos tribuisse deorum,
96 benignitate copiosa munera ?
97 Invida postquam isthaec mors abstulit omnia, quando

98 fuerant tibi datura fructum maximum.
99 Jam patrium linquens Hispani flumen Iberi,
100 Germaniam petis secutus Caesarem.
101 Cum subito exstinctum populi videre colentes,
102 montana regna ad Oenipontum nobile.
103 Scilicet invidit fatum, ne magna videres
104 Rheni superbi, Danubique flumina.
105 Sed nihil immiti prosunt in morte querelae,
106 nullis superba precibus umquam flectitur.
107 Nos tibi nunc tumulum facimus, tumulumque coronis
108 ornamus hisce perpetuo virentibus.
109 Ut dum vere novo repetitus floreat orbis,
110 tua gloriosa laude fama floreat.

IN FUNERE CASPARIS NUCELII PRAEFECTI AERARIO URBIS NORICAE.
EPICEDION.

E_15 v.1 Et merito, quid enim non lugeat omnis ademptum
2 Norica res fato publica Nucelium ?
3 Nam si parva levi languent discrimine, pejus
4 corporibus magnis vulnera magna dolent.
5 Sentit, et ipsa suum sic fert animosa dolorem,
6 ut dextra vulnus dissimulante tegat.
7 Quamquam non ita dissimulat, quia languet honesto
8 vulnere, ut hac sese clade dolere neget.
9 Non negat, imo gravi se laesam sorte fatetur,
10 postquam Nucelium Parca maligna tulit.
11 Nunc igitur fato crudeli deflet ademptum,
12 quae prius urbs illo cive superba fuit.
13 Et merito lugens talem sibi deflet ademptum,
14 seu libeat natum dicere, sive patrem.
15 Nam quod dilectae mater solet esse parenti,
16 hoc numquam patriae non fuit ille suae.
17 Quod natae genitor solet esse fidelis amanti,
18 hoc tibi dum licuit Noricaberga fuit.
19 Hunc non illa fleat ? Non hujus iniqua queratur
20 stamina posterius non potuisse trahi ?
21 Non si sit Scythico sub sidere condita, non si
22 inter inhumanos sit sita Bessaetas.
23 Namque fuit patrii studiosus semper honoris,
24 urbanae custos utilitatis erat.
25 Ille sua sanctum ornavit virtute senatum,
26 plebei semper amans ordinis ille fuit.
27 Publica privatis bona praeposuisse solebat,
28 nec propria quaquam commoditate trahi.
29 Consilio bonus, ingenio fuit utilis acri,
30 facunda eloquii dexteritate potens.
31 Cumque magistratum gereret, non illius umquam,
32 jure tumens, voluit plus licuisse sibi.
33 Natura facilis, civilis, et aequus in omnes,
34 non aliqua fastus asperitate gravis.
35 Non rigidus, non ore minax affabilis omni
36 tempore, seu juvenis, seu loquerere senex.
37 Nulli umquam nocuit, multos adjuvit, et omnes
38 officiis studuit demeruisse bonos.

39 Cumque Latina minus saperet, tamen illa fovebat,
40 unicus, et studiis semper amicus erat.
41 Vidit enim pulchris studiorum fructibus urbes,
42 crescere, et huic illis esse putabat opus.
43 O rara virtute virum, nam tempore nostro,
44 qui studia ignorant despiciere illa solent.
45 Quid memorem quanto ille fidem Christeida cultu,
46 qua pietate animi simplicis extulerit ?
47 Sancta renascentis divini oracula verbi,
48 prima loco jussit civibus esse suis.
49 Quod Cato Romanae quod erat Pompeius urbi,
50 ille suae, tantum dempseris arma, fuit.
51 Nec sic eminuit primum ut se vellet haberi,
52 libera res fasces debet habere pares.
53 In quibus eminuit tamen, illa fidelibus auxit,
54 ipse pares spectans, facta ministeriis.
55 O clarum pietate virum, cui civica certe,
56 si ferat haec aetas danda corona fuit.
57 Nam plus est in pace bonos bene ponere cives,
58 quam medio in bello conseruasse malos.
59 Ille etiam seu pacis erant, seu tempora belli,
60 sive nec hoc certum, sive nec illud erat.
61 Nil alienum a se humani ratus esse negoti,
62 pauperibus promptam saepe ferebat opem.
63 Munera iudicio non praetulit, omnia fecit
64 ut scirent omnes et sine teste nihil.
65 Aequales summa pietate colebat amicos,
66 sed nec inaequales spreuit amicitias.
67 Omnibus obstrictum se maluit esse videri,
68 quam male devinctum quemlibet esse sibi.
69 Moribus his fuerat quos, quam reprehendere, posset
70 ipse magis vera laude probare Cato.
71 Ornabat facilem generosa modestia mentem,
72 suspicio luxus nec levis ulla fuit.
73 Nemo magis ganeae, nemo magis ebrietati
74 nemo magis ludis turpibus hostis erat.
75 Talis hic, et tantus, quid ni doleatur ademptus ?
76 Non fleat urbs tali Norica cassa viro ?
77 Roma suum lacrimis Ciceronem flevit acerbis,
78 sed raptum exilio, non tamen exitio.
79 Atque hunc restituit cupidae Pompeius urbi,
80 atque alii, res haec deteriore loco est.
81 Norica sic gemit ex oculis urbs prorsus ademptum
82 Nucelium, ut nemo restituisset queat.
83 Si foret exilio bonus hic revocandus ab ullo
84 nulla nimis spatii terra habitura fuit.
85 Ibimus extremos ultra Garamantas, et ultra
86 aestivae Solis torrida regna plagae.
87 Ibimus et Scythiam supra Tanaimque nivalem,
88 quaque stat aeterno Tethyos unda gelu.
89 Nunc nec ab occiduis, nec ab Euri vallibus illum
90 possumus in nostros restituisset lares.
91 Illum ac nos inter mors ferrea limina fecit,
92 limina quae nulla frangere detur ope.
93 Illa Cyclopeis validas mage turribus arces
94 exstruit, humanas despicit illa manus.
95 Illa nec ambiri longarum ambage viarum,
96 nec falli quavis condicione potest.

97 Omnibus insidias posuit regionibus, omnes
 98 decipulis homines nocte dieque capit.
 99 Solius arbitrio nutu quatientis Olympum,
 100 aut cessat properans, aut furit incipiens.
 101 Hujus ab insidiis postquam est excoeptus, et istas
 102 humani posuit corporis exuvias.
 103 Jam loca Nucelius placida et meliora frequentat,
 104 nunc tandem patriae civis in urbe suae.
 105 Namque haec non patria est nobis, quicumque profecti,
 106 huc ex aetherea ducimus arce genus.
 107 Hinc sumus atque istas post fata revertimur oras,
 108 quicquid in his tenebris vivimus, exilium est.
 109 Illo Nucelium mortali ex orbe reversum,
 110 desinite injusto velle dolore queri.
 111 Quin potius monumenta viro victura parate,
 112 ipsius ut longo tempore vivat honor.
 113 Hoc cives decuit gratos, sic ipse tot annis,
 114 de vestris meritis rebus et urbe fuit.
 115 Sed ne forte olim spectetur inane sepulcrum,
 116 impositum cineri littera signet opus.
 117 Hoc quicumque vides signatum carmine saxum,
 118 hic sita Nucelii Casparis ossa scias.
 119 Praefuit ille diu patriae feliciter urbi,
 120 paene senem morbi vis truculenta tulit.

IN FUNERE CLARISS. QUONDAM VIRI, D. HIERONYMI EBNERI

URBIS NORIBERGAE AERARIO PRAEFECTI SUPREMI ETC.
 PER HELIUM EOBANUM HESSUM, ANNO M.D.XXXII. MENSE AUGUSTO DICTUM.

E_16 v.1 Cum mihi funebres dictaret Musa querelas,
 2 nuper, et augendis luctibus apta foret.
 3 Frangebam calamos, et plectra loquatia rupi,
 4 ad lacrimas iterum non habitura viam.
 5 Heu, incerta hominum fiducia, nulla futuri
 6 spes animi certam debet habere fidem.
 7 Nam mihi cum ratio non ullius ulla querelae,
 8 fine videretur posse venire novo.
 9 Quam subito in tenues spes illa evanuit auras,
 10 quam subito est ratio carminis orta novi.
 11 Scilicet illustres caneret dignasque perenni
 12 laude animas, quae nunc muta Thalia foret.
 13 Non ita, nam fato jacet ille exstinctus iniquo,
 14 ille decus patriae praesidiumque suae.
 15 Cujus ad interitum Nymphae Pegnesides aegrum
 16 vorticibus rapidis exseruere caput.
 17 Et quis io periit ? Mediis nam sensimus undis
 18 insignem meritis interiisse virum.
 19 Cum subito tenues vox est audita per auras,
 20 fallimur ? An Genii Noridos urbis erat ?
 21 Dicite lugentes funebria carmina Nymphae,
 22 ferali tristes cingite fronde comas.
 23 Occidit Ebnerus dubiis Hieronymus annis,
 24 nam potuit plures vivere et esse super.
 25 Attigit undecimi vix dum confinia lustris,

26 rupit adhuc stabilem de tribus una colum.
27 Dicite crudeles infamia numina Parcae,
28 Hic vos nonne modum, non habuisse pudet ?
29 Quam vos utilibus sublatam exstinguitis annis,
30 ah nondum virtus debuit ista mori.
31 Non sibi sed patriae plures vixisset in annos,
32 Ebnerus patriae vivere doctus erat.
33 Quae nunc ipsa patrem merito sibi luget ademptum
34 lugubre funereo pulvere sparsa caput.
35 Dicite lugentes funebria carmina Nymphae,
36 ferali tristes cingite fronde comas.
37 Illum omnis luget populus, quique incolit urbem,
38 quique extra populus moenia celsa colit.
39 Omnis et hunc aetas, sexusque hunc omnis, ademptum
40 feminei coetus tota corona dolet.
41 Hunc deflent cecidisse viri juvenesque senesque
42 nemo puer, lacrimis nulla puella caret.
43 Omnes ille equidem pietate accepit eadem.
44 Omnibus ex animo fidus et aequus erat.
45 Mirum quod tanto in populo vox nullius unquam
46 ausa est de factis illius ulla queri.
47 Parte omni ex aequo virtutes miscuit omnes,
48 par in eo gravitas dexteritasque fuit.
49 Qualem divitibus, talem se gessit egenis,
50 unus erat candor pectoris, una fides.
51 Extulit aequatam non ulla superbia mentem,
52 nullius insurgens perculit aura metus.
53 Quod si justitiam spectes, haec summa feratur
54 laudis, Aristides Noricus ille fuit.
55 Si quam res animo prudenti gesserit omnes,
56 hic te paene, Fabi Maxime, major erat.
57 Quos adeo forti non sprevit pectore motus,
58 non merito ut dicas Caesar et ille fuit.
59 Pulchra verecundos comitata modestia mores,
60 ante et Graiugenas Romulidasque tulit.
61 Quamquam si libeat gentilia nomina nostris
62 conferre, innumeri qui peterentur erant.
63 Nostra alia est ratio sancti quos unda lavacri
64 abluit, et fassi qui tua, Christe, sumus.
65 Qui tua, Christe, sumus fassi, mortemque crucemque
66 vulnera, flagra, genus, munera, verba, fidem.
67 In quibus ille fuit tanto succensus amore,
68 ut leve pro Christo duxerit esse mori.
69 Quam bene pro solo vetera omnia nomina Christo
70 spernimus, hic illi vitaeque duxque fuit.
71 Rettulit omnia ad hunc, accepta huic cuncta ferebat,
72 quae data cognorat munera cumque sibi.
73 Mille alias alii adnumerent virtutibus istis,
74 me vetat ingenuus dicere plura pudor.
75 Dicite lugentes funebria carmina Nymphae,
76 ferali tristes cingite fronde comas.
77 At tu iudicio fatorum ablate maligno,
78 quantus es eximia factus in urbe dolor.
79 Te non soli homines, non patria sola, sed ipsi
80 paene etiam montes, mutaque saxa gemunt.
81 Te nemus Hercynium, vitrea te Noricus unda
82 Pegnesus, liquididi te gemuere lacus.
83 Nunc tua rura etiam Megalopagana queruntur,

84 te sine quod placeat laudis habere nihil.
85 Conjugis ut carae lacrimas gemitusque perennes,
86 ut taceam sanctae pignora rara domus.
87 Quid tuus ille animi sibi nunc assumet Erasmus ?
88 Ille tui generis gloria, fama, decus.
89 Quantas ille tibi laudes, quantasque dicabit.
90 Ingenii dotes et monumenta sui ?
91 Tu tamen o caelo juvenis gratissime, ne te
92 ne procul a Musis mors genitoris agat.
93 Cur tamen haec metuam de te, quem laeta juventae
94 gratia non paucos extulit ante senes ?
95 Dicite lugentes funebria carmina Nymphae,
96 ferali tristes cingite fronde comas.
97 Illius, ille chorus luget tua funera, cujus
98 ordinis eximium tu decus unus eras.
99 Non quia non habeat similes tibi, sed quia tandem
100 ex ista non est integra parte sui.
101 Quid loquar ingenuas quam foverit impiger artes
102 quam tulerit Musis tristibus unus opem ?
103 Quo misere afflictis studio succurrerit, et qua
104 fulcierit lapsas dexteritate Scholas.
105 Nimirum ingenuas evectus et ipse per artes,
106 artibus ingenuis verus amicus erat.
107 Vidit enim quam contemptae spretaeque jacerent,
108 quamque esset clades inde futura gravis.
109 Atque ita consuluit patriae, quantum esset in ipso,
110 quantum etiam possent tempora dura pati.
111 Sed tamen invidere viri conatibus istis,
112 numina nascenti non satis aequa Scholae.
113 Quod si digna Deo virtus spectanda fuisset,
114 hic vir ob hanc dignus ne moreretur erat.
115 Si probitas, si sancta fides, si fixa Deo spes,
116 his satis armatus viribus ille fuit.
117 Quid tamen hoc prodest ? Quid cingi talibus armis
118 invictas Divum profuit ante manus ?
119 Dotibus a tantis cur non fatalia Parcae
120 numina, crudeles abstinuere manus ?
121 Vel si virtutem nihil est coluisse, dedissent
122 vivere adhuc paucos huic licuisse dies.
123 Sed tamen est nimium ratio hujus inepta querelae,
124 gratari et melius, quam doluisse fuit.
125 Ponite lugentes funebria carmina Nymphae,
126 ornatas viridi cingite fronde comas.
127 Perdidit Ebnerus falsae mala gaudia vitae,
128 invenit vitae gaudia vera novae.
129 Exuit arma sui mortales corporis artus,
130 induit arma animae non moritura suae.
131 Pone modum lacrimis, urbs Norica, mitte querelas :
132 nil prosunt lacrimae, nulla querela juvat.
133 Quin gratari tui potius, quod vivit alumni
134 gloria, quod virtus non obitura manet.
135 Non moritur quisquis tales post funera laudes
136 invenit, ista bonis vita venire solet.
137 Nam quis in hoc populo non miris laudibus illum
138 evehit, et patriae vulnera tanta dolet ?
139 Quamquam stulta hominum vanos sapientia motus
140 fingit, et ipsa nocens anxia vita sibi est.
141 Nullus enim miseris modus est affectibus, et nos

142 apparens falsi ludit imago mali
143 tamquam vel nobis prosit, vel lumine cassis,
144 incusare Deos flere, dolere, queri.
145 Cum nihil hinc ad nos redeat, nihil adferet illis
146 praeter stultitiae non habuisse modum.
147 Sicut ubi errantem sequitur canis impiger umbram
148 aetimat esse aliquid, quod nihil esse liquet.
149 Aut ubi vana leves turbant insomnia sensus,
150 omnia quae veniens discutit hora vigil.
151 Nos quoque qui lacrimis nimis indulgemus ineptis,
152 non nimium a brutis turba aliena sumus.
153 Quin magis hoc ipsis pejores nomine brutis,
154 quod nos iudicio fallimur, illa minus.
155 Nam ratio est aliquo, quae iudicat omnia sensu,
156 in nobis ratio est, haec ratione vacant
157 cum vero rapidae terremur imagine mortis,
158 incautos animos somnia vana movent.
159 Omnia quae veniens post mortem vita revelat,
160 in media vivos morte fuisse docens.
161 Quare agite o vanas procul hinc auferte querelas,
162 quos fata Ebneri mortis acerba movent
163 Ille quidem taetro mortalis carcere liber
164 corporis, astriferi possidet orbis opes.
165 Unde haec vana hominum ludibria ridet, et istas
166 undantes lacrimis non amat inferias.
167 Nos tamen haec dedimus memori descripta libello
168 carmina, sic merito, qualiacumque viro.
169 Non quia vel manes his credam posse moveri,
170 nostra vel aetherias tangere verba domos.
171 Sed quia quod, quem non potui, testentur honorem,
172 seu quia quod volui, nomen in astra ferant.
173 Vos quoque qui bibitis sacrae Permessidos undas,
174 quorum non paucos Noris amoena fovet.
175 Vos agite Ebneri cultis signate sepulcrum
176 versibus, et grata condite busta manu.
177 Ille quidem vestro semper sic favit honori,
178 ut vix huic tulerint moenia vestra parem.
179 At tibi Dii faciles, tibi sit placabile caelum,
180 o anima excessu facta beata tuo
181 molliter exigua corpus requiescat in urna,
182 donec in hoc licitum sit rediisse tibi.
183 Donec id adventus tuba nuntia suscitet horae,
184 per quam vita bonis, Mors erit una malis.

IN FUNERE CLARISS. ET INCOMPARABILIS ERUDITIONIS VIRI D. ERASMI ROTERODAMI
EPICEDIUM.

AD GERHARDUM NOVIOMAGUM.

E_17 v.1 Manibus ut magni funebria poscis, Erasmi,
 2 flebilibus numeris, docte Gerharde, canam.
 3 Obsequer, si nostra suas in carmina Musae
 4 quas olim vires exhibuere, darent.
 5 Qualibus invaluit primae calor ille iuventae,
 6 qui nunc extincto frigidus igne jacet.
 7 Sicut laeta vides primi nova gaudia veris

8 dum viret, et varias parturit annus opes.
9 Post ubi vernus honor defloruit omnis, ab illo
10 omnia perturbat, tempore, tristis hiems.
11 Sic mea vere suo, quae floruit indole laeta
12 Musa senectutem sentit adesse suam.
13 Non quia jam canas contraxerit illa pruinas,
14 proque sacro gelidas hauriat amne nives.
15 Sed quia pomiferi ceu tempora prospicit anni,
16 nec juvenem, nec se dixerit esse senem.
17 Et mihi jam tales iteranti saepe querelas,
18 fastidit solitum nausea facta cibum.
19 Experiar tamen, et quantum se Musa canenti
20 ingerit, haud magno, quod petis, ore canam.
21 Nam tibi tam blando, tam pectore, justa petenti
22 quis neget ? Et si quis, qua ratione neget ?
23 Eximium fato functum lugemus Erasmus,
24 hoc duce qui Musis addita turba sumus.
25 Fatorum invidia quis enim dubitarit ? Erasmus
26 hinc est ad superas jussus abire domos.
27 Hic nihil invidiae est, sed enim superesse licebat
28 longius, haec series non properanda fuit.
29 Certa erat haec illi requies a fine futura,
30 tardior hic finis debuit esse tamen.
31 Vixisset paucos, et ad huc potuisset, in annos
32 justa minus forsitan nostra querela foret.
33 Nunc quia non licuit superesse diutius illi,
34 quam decuit, querimur, plus libuisse tribus.
35 Dignus erat Pylios qui vita exisset in annos,
36 atque etiam plures Nestoras esse super.
37 Tot, nisi vana ferunt, vivaces saecula cervi
38 exsuperant, cornix garrula tam fit anus.
39 Tam dedit angustos homini lex improba fines,
40 naturae ratio tam minus aequa fuit.
41 Ut tamen hac nobis non sit ratione dolendum,
42 quicumque e media pars quota plebe sumus.
43 Quantum erat ingeniis tam sanctis parcere, et istam
44 fatali legem postposuisse die ?
45 Nec de plebe fuit media, virtutis Erasmus
46 nomine, semideum par fuit ille choris.
47 Eripuere tamen terris hunc fata, quid ultra
48 erepto hoc prodest flere, dolere, queri ?
49 Quae non abstinuere manus a funere tali,
50 paene deos cogent impia fata mori.
51 Nam quid non habuit ? Quid non fuit ille, quod ipsae
52 fatales possent non timuisse deae.
53 Eximium fato functum lugemus Erasmus,
54 hoc duce qui Musis addita turba sumus.
55 Ingenio fuit ille sui clarissimus aevi,
56 viribus eloquii maximus ille fuit.
57 Ille sacris primus detractum nuper honorem
58 reddidit, et cultus vestiit arte novi.
59 In lucem pravos monachorum protulit artes,
60 legitimoque deum jussit honore coli.
61 Ut taceam quanto pietatem juverit auctu,
62 innumerabilibus viribus ingenii
63 infra se positus, et humi repentibus, omni
64 quo potuit studio profuit, arte, fide.
65 Tot ratione scholas studiorum muniit omnes,

66 quot nemo, ante ipsum, qui potuisset erat.
67 Quae non abstinuere manus a funere tali,
68 paene deos cogent impia fata mori.
69 Perpetuo praesens fuit illi copia fandi,
70 dixisses magno cum Cicerone loqui.
71 Nec mea teste caret vox haec, monumenta reliquit
72 plurima, quae nullus nescit in orbe locus.
73 Quae legit immensas Germania magna per oras,
74 quae legit Hesperiae litus utrumque plagae.
75 Quae legit a nostro divisa Britannia caelo,
76 quae legit Arctoo Dania cincta mari.
77 Quae Scotus et Picti, quae dites lacte Suedi,
78 quae legit aeripedi Sarmata pastus equo.
79 Denique quae totum legit omnis fama per orbem,
80 sub quacumque aliquod nomen Erasmus habet.
81 Eximium fato functum lugemus Erasmus,
82 hoc duce qui Musis addita turba sumus.
83 Illum omnes flevere boni, flevere malique
84 usque adeo studiis omnibus unus erat.
85 Illum Teutonici lugent vada caerulea Rheni,
86 et quicumque ab eo nobile nomen habent.
87 Praecipue qua se praeter Basilea fluentem
88 spectat, et occiduas mittit, ut intret, aquas.
89 Illa viri cineres tanti, tumulumque recentem
90 possidet, illa suo condidit ossa sinu.
91 Illum orae celebrem nunc luget ad Albidos undam,
92 quae schola grande decus temporis hujus habet.
93 Quae non abstinuere manus a funere tali,
94 paene deos cogent impia fata mori.
95 Illum, parte sui, maerens, Erphurdia luget.
96 Hei mihi quod totam dicere grande fuit.
97 Luxisset meliore modo, nisi forte fuisset
98 non satis in Musas officiosa meas.
99 Nos quoque qui patrio colimus loca proxima Lano,
100 hic obitus merito flemus, Erasme, tuos.
101 Hic ubi belligeri Martis cognomine Burgum,
102 ardua praecelsae culmina rupis habet.
103 Eximium fato functum lugemus Erasmus,
104 hoc duce qui musis addita turba sumus.
105 Quid moror in parvis ? Illum Germania luget,
106 quanta sub Arctoo, sidere cumque jacet.
107 Exstinctum hunc ab utroque mari terra Itala luget,
108 gurgitis usque ad aquas, magne Pelore, tui.
109 Hunc Tartessiacas Hispania deflet ad undas,
110 nunc mixtas lacrimis ducit Iberus aquas.
111 Hoc nunc armipotens vitali lumine casso,
112 Gallia quodque fleat, quodque queratur habet.
113 Hunc gemit assiduo populosa Britannia fletu,
114 haec illi genitrix paene secunda fuit.
115 Omnis in occiduo quae fluctuat insula Ponto,
116 turbata est fama mortis, Erasme, tuae.
117 Tam perculsa gravi lugeret Graecia fato,
118 si foret illa sui juris, ut ante fuit.
119 Quae non abstinuere manus a funere tali,
120 paene deos cogent impia fata mori.
121 Tu tamen ante alios, nisi tu tua damna dolebis,
122 dotibus invideam, dure Batave, tuis.
123 Te magis illustrem tuus ille beavit alumnus,

124 quam, quibus immodice luxuriaris, opes.
125 Quam quae bellipotens duris te exercuit armis,
126 olim Romanae pars quota militiae.
127 Ille tibi famam peperit sine fine futuram,
128 invidet hanc laudem Romula terra tibi.
129 Tota tibi socio plaudit Germania coetu,
130 hac ille ingenuae matre superbus erat.
131 Illum nunc eadem tecum, tibi, luget ademptum,
132 non secus ac nati viscera cara sui.
133 Eximium fato functum lugemus Erasmus,
134 hoc duce qui Musis addita turba sumus.
135 Dicite fatales crudelia numina Parcae,
136 hic numquid vires vos habuisse pudet ?
137 Vos quoque vocales placidissima numina Musae,
138 anne ego vos lacrimas hic tenuisse putem ?
139 Non puto, nam blando coluit vos semper amore,
140 totus erat vestri laus, decus, aura, chori.
141 Vestris ille puer crevit nutritus in umbris,
142 lac vestris infans suxit ab uberibus.
143 Haec mihi dicenti, sic reddidit una sororum
144 Uranie, nisi me forma fefellit erat.
145 Nemo datas fato potuit praevertere leges,
146 omnibus haec certa est meta terenda rota.
147 Qui tamen hac moritur, qua lege est functus Erasmus,
148 non moritur, sed quo vivere possit habet.
149 Quare age, mitte graves tristi de pectore curas,
150 nec nos perpetuo tempore flere decet.
151 Quandoquidem vitam nunc primum vivit Erasmus,
152 quam recto vitam dicere jure queas.
153 Quin potius posito versus inscribe sepulcro,
154 quos propria scripsit blanda Thalia manu.
155 Quod reliquum magni bustum breve clausit Erasmi,
156 clausit idem docta cum pietate fidem.
157 Non tamen hic totus tegitur, pars maxima terras
158 implet, et haec illi non satis urna fuit.
